25

APPENDIX

CONSTITUTIONUM CLERR. REGG. S. PAULLI

DECRETUM

Visum est Appendicem addendam esse Constitutionibus, in qua agatur de scholis publicis et de Collegiis pro adolescentibus alimentariis. Itaque decernit Capitulum Generale hanc Appendicem subiiciendam esse pro examine Patribus deputandis ex singulis Provinciis a Praeposito Generali; qui acceptis, et cum sua Consultatione perpensis singulorum animadversionibus, adeoque emendata, si opus sit, dicta Appendice, eamdem transmittat ad Collegia observandam usque ad proxime futurum Capitulum Generale = *Ex Actis in Capitulo Generali anni 1855.* (Die 26 Aprilis, Sessione XIII.)

APPENDIX

CONSTITUTIONUM CLERR. REGG. S. PAULLI

DE ADOLESCENTUM EDUCATIONE IN PUBLICIS GYMNASIIS ET COLLEGIIS

Quod de scholis in publicis gymnasiis constituendis iam inde a primordiis nostrae Congregationis decretum fuerat, quum, non ita multo post, res ipsa utilitate comprobasset; factum est ut, Deo propitio, mox etiam instantibus insignis pietatis ac doctrinae viris, tantum huiusmodi institutum apud nos acceperit incrementi, ut deinceps non scholae modo adolescentibus erudiendis, verum etiam communitate vitae atque victus educandis Collegia ipsa patere pluribus in locis coeperint. Nam quum probe intelligerent maiores nostri quantum praestet ad animarum salutem servare incolumes a vitiis, quam depravatis mederi; multoque uberiores afferre fructus sparsa in animis a prima aetate, solerterque exculta quasi semina quaedam virtutum, quam quidquid acrioris curae ac diligentiae in provectâ iam et confirmatâ impendi possit; simul quod viderent, peritiam instituendae adolescentiae adeo raram (nimirum quum maius sit hoc quiddam, quam vulgo existiment), ut vel

Const. Lib. III. Cap. 3.

egregiae indolis iuvenes, cultorum culpâ, saepe in vitia desciscant: statuerunt, ad propositum sibi finem tum maxime se posse contendere, quum illam aetatem praecipuo studio excolendam suscepissent.

Sit igitur in primis illud nobis ante oculos positum, in quo omnis inest industriae laborisque nostri vis et praestantia, et unde omnis huius instituti ratio pendet, non cupiditate aliqua ductos id nos oneris suscepisse; sed ut animas Christi sanguine redemptas ad Dei amorem, religionis studium, virtutesque omnes dignas nomine christiano, provehamus. Ita fiet, ut neque humanum aliquod in hoc genere unquam spectetur, neque in eam forte opinionem quis incidat, universam hanc iuventutis instituendae provinciam cultu solum humanitatis, ac specie quadam virtutis et urbanitatis contineri. Qui enim terrena sapiunt, et vitae honestatem suis commodis, seu vulgi opinione, non christianae sapientiae praeceptis metiuntur, ii fere nihil maius in adolescente requirunt, quam ornamenta doctrinae, morum elegantiam, peritiam artium liberalium. At vero, ut his non parum tribuamus ad vitam perfecte instituendam, nobis tamen praecipua adhibenda est cura, meditatio, diligentia, ut iuvenes immaculatos custodiamus ab
Iac. 1, 27. hoc saeculo, pueritiam tueamur, adolescentiam consilio, praeceptis, exemplis usque eo foveamus, donec
Gal. 4, 19. Hebr. 13, 17. formetur in illis Christus: quippe rationem Deo potissimum pro animabus illorum sumus reddituri. Itaque cetera omnia ad hunc maxime finem referenda sunt: pietatis, religionis, virtutum omnium, atque

adeo ingenii et corporis exercitationes, artium et disciplinarum liberalium studia, ludi ipsi animique relaxationes ad normam christianae Fidei dirigenda, quo sensim, in omnes partes, usus vitae virtute Christi ac sapientia conformari possit.

Ac sunt quidem virtutes, in quibus praecipue exercere animos mature oportet; ut a pueris assuescant parentibus obsequi, honorem habere senioribus, omnium qui sibi praesint auctoritati obtemperare; idque officii gratià, non metus tantum, aut spe utilitatis: item, erga aequales et minores officia persequi christianae caritatis, clementiae, mansuetudinis: denique nihil per fraudem aut ex occulto, nihil simulate, sed aperte omnia atque ingenue agere et loqui. In omnibus autem adolescentum non solum factis et dictis, sed in ipso etiam corporis motu et statu, in voce, gestu, incessu verecundia eluceat: modestiam, temperantiam, decorum denique illud induere studeant, adeo cum virtute coniunctum, ut ex eo, veluti venustate quadam, honestas ipsa florescere videatur.

Nec tamen quisquam una morum pudicitia et castitate contineri honestatem putet; ut non aeque superbiae, ac divitiarum et turpis lucri cupiditati evellendae, omni studio eniti quisque ab adolescentia debeat: quorum vitiorum pestes si negligantur in pueris, altius in dies radices agunt, ad hominum et civitatum perniciem. Itaque illa ipsa aemulatio, quae animos ad virtutis laudem incendit, cavendum tamen est, ne ad arrogantiam, invidiam, obtrectationem, et inanis gloriae studium excurrat. Sed contra curan-

dum est, ut eam animi excellentiam consectentur, quae ex omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia exsistit. Ab otio, desidia, deliciisque, atque immodico cultu et ornatu corporis arcendi: in labore, patientiàque et animi et corporis exercendi: tum ad magnanimitatem et animi fortitudinem excitandi, praesertim qui sunt aetate provectiores; ut discant a vanis hominum studiis, opibus, voluptatibus abhorrere, et ad ardua, et christiano homine digna facinora animum attollere; quidquid sanctum, honestum, generosum, illustre suspiciant, atque aemulentur.

Sed prae ceteris virtutibus, quae ad mores pertinent, praecipuae curae sit Religione animos imbuere; quae et una inter omnes maxime excellit, et reliquas ita informat ac fingit, ut non solis naturae viribus, more ethnicorum, sed Fide nitantur, quae
Gal. 5, 6. per caritatem operatur. Etenim sicut nulla totius vitae pars est, quam non ad Dei cultum referre, et ad Catholicae Religionis leges et instituta exigere oporteat, ita educatio tum demum ad reliquae aetatis cursum comparabit adolescentes, si non tantum ingenii vires excolat, nec externa dumtaxat facta honestatis specie, sed solida pietate ac religione internos potissimum animorum motus componat; sensus, iudicia, facultates omnes regat et moderetur. Itaque huius virtutis vis et efficacia in omni institutione quam latissime patet: quae et ipso rerum usu et consuetudine inserenda animis; et exemplis, monitis, praeceptisque, quotiescumque occasio tulerit, magis quam argumentis tradenda est. Quos vero aetas et

progressus in studiis reddiderint idoneos, valde opportunum erit, si rationibus etiam confirmentur, et uberiore instruantur doctrina: ut christianam sapientiam, et quaecumque ad Catholicae Ecclesiae disciplinam spectant, sanctissimasque eius leges temporum calamitate passim neglectas, non modo calleant ac revereantur; verum etiam perspecta rerum divinarum veritate, praestantia, splendore, amplitudine, et maximis quae in omne hominum genus manarunt utilitates, tanta Dei beneficia et ardentiore studio prosequantur, et firma constantique assensione etiam tueri possint, hominumque impiorum declinare fraudes, cavillationes refellere: ne tamquam parvuli fluctuantes, circumferantur omni vento doctrinae; sed et parati semper sint ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe; sed cum modestia et timore.

Eph. 4, 14.
I. Petr. 3, 15. 16.

Quoniam vero adolescentes ad virtutum studia maxime ducuntur exemplis, singuli qui in eorum curam incumbunt, studeant praecipue in omni disciplina et perfecta quadam vitae ratione ipsis praelucere; a profanis moribus, omnique levitate abhorrentes, eam integritatem, morum innocentiam, gravitatem, constantiam praeseferant, quae aspectu ipso ad omne officii munus alliciat. Id autem facile praestabunt, modo illam undique expletam et absolutam inierint honestatis formam, quae Constitutionibus expressa est.

Caveant praesertim, ne a puerorum contubernio et consuetudine, remissis quandoque animis, frigescat pietas, frangatur virtutis robur: ut non tam illos

ad sui imitationem provocasse, quam ipsi ad eorum vitia delapsi esse videantur. Quare a nimia se familiaritate religiose abstineant; intima commercia, blanditias, et solutam quamdam cum alumnis seu discipulis consuetudinem devitent: quibus rebus et sibimet non leve fortasse damnum, auctoritati vero contemptum, et disciplinae certam dissolutionem afferrent.

Curent potius omnes nostri et maxime Collegiorum Superiores, quotquot sibi in disciplinam tradentur, paterni animi caritate complecti (qui enim di-
Prov. 13, 24. ligit filium suum instanter erudit); et assidua sollicitudine, animorum et corporum incolumitati consulere; utilitati prospicere; ac, pro sua quisque facultate, ita diligentem omnium curam gerere, tamquam sibi a Domino commissi essent, ut ad Chri-
Marc. 10, 14. stum adducant, qui dixit: Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum Dei; et, Qui susce-
Matth. 18, 5. perit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Igitur non labori parcant, non sumptibus, sed imitatione Apostoli Paulli, se, suaque, si necessitas
II. Cor. 12, 15. obveniat, libentissime impendant; quando et vitam ipsam pro salute animarum iubemur profundere, si-
I. Ioh. 3, 16. cut et Christus animam suam pro nobis posuit. In primis vero se suosque alumnos precibus Deo commendent, nihil suae industriae, sed Dei solum auxilio et virtute confisi, ex quo virtus omnis et fa-
II. Cor. 3, 5. cultas nostra est.

Praeterea studii plurimum conferant in iuvenum ingeniis, animorumque propensionibus penitus pernoscendis; ut pro cuiusque naturae, intelligentiae,

morumque varietate, singulis opportune consulatur. Quo in genere praeclare se gerent, si ad omnes res eam adhibeant prudentiae regulam, quam nostrae Constitutiones pluribus locis tradunt. Const. Lib. II. Capp. 11, 12. Lib. IV. Cap. 12. §. Cognoscat

Habeat unusquisque Superior, cui adolescentum cura commissa sit, adiutores, praeter consuetos, quibus vices mandentur tum praefecturae gymnasii, praesertim publici, tum disciplinae in puerorum convictu servandae: qui tamen de curatione sua frequenter cum Superiore communicent, eique obtemperent.

Maxime vero iis, quae ad spiritum pertinent, curandis praeficiatur pro contubernalibus Sacrorum Magister; cui non solum sanctitatis, iudicii, doctrinaeque commendatio, sed etiam prudentia singularis, et comitate condita gravitas benevolentiam aeque ac auctoritatem concilient ad id muneris obeundum, quo nullum est aliud maioris momenti ad pueros pie sancteque educandos. Huius partes sint confessiones audire; christianâ doctrinâ instituere; ad frequentem et legitimum usum Sacramentorum comparare; rationemque docere rite Deum orandi tum voce, tum mente, pro cuiusque captu atque aetate. Praeterea, nunc publica cohortatione, nunc privatis collationibus, adolescentum occurrere erratis, excitare studia et ad virtutes allicere: quidquid a sanctiore disciplina, vel a pietate alienum forte obrepserit, animadvertere, et ut amoveatur curare: denique pro viribus efficere, ut spirituales alumnorum progressus ex omni parte adiuventur. Const. Lib. III. Cap. 1.

Magistri item dent operam, ut litteris, scientiisque

tradendis non minus pietate quam doctrina teneros imbuant animos: nec vero ullum sui laboris cepisse fructum existiment, si sua institutione nihil contulerint ad componendos mores, discipulosque ad Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi cognitionem et amorem ducendos. Memoria teneant, timorem Domini esse principium Sapientiae; quia Dominus dat
Prov. 1, 7. Ibid. 2, 6. Sapientiam, et ex ore eius prudentia et scientia: atque ut vana et futilis eruditio a Deo facile abducit, ita illam veram solidamque scientiam esse censendam, quae ad Deum perducat. Quare et ipsi saepe discipuli moneantur, ut studia sua referant ad divinam gloriam, Deoque non sibi placere velint; nec satis se arbitrentur adeptos, nisi quantum eruditione pluribus fortasse praestare videntur, tantum virtute animi, et ferventi in Jesum Christum caritate antecellant.

Libris ethnicorum sic utantur, tamquam spoliis de hoste captis ad ornandum triumphum Crucis Christi. Atque iidem saepius occasionem dabunt nunc praebendi documenta virtutum, nunc praestantiam divinae religionis extollendae, quandoque etiam pios affectus eliciendi; modo ex animo, et sine satietate id fiat.

Servetur autem certa docendi ratio, sive methodus, quae et summorum doctorum auctoritate et experimento probatissima sit. Praeterea variis artibus litterarum amor et studium in pueris scite, solerterque excitetur. Sed ille omnino a nostris respuatur levis scientiae color, quasi fuco illitus, et varia quaedam, multiplex, vaga rerum plurimarum notitia et eruditionis species, quae apud indoctos quidem ad-

mirationem habet, sed prorsus ingenia turbat, et arrogantiam parit, multoque est quam ignorantia ipsa perniciosior. Sunt ergo iuvenum acuenda ingenia, et gravibus imbuenda doctrinis, iudiciumque firmum atque acre veluti fingendum; unde et veri perspicientia, et consilii gravitas, et in negotiis gerendis solertia et constantia exsistit. Proinde et ipsi primum praeceptores statuant, labore assiduo scientiam sibi penitus comparandam esse earum rerum, quas docent: deinde si qua in scholis ad eas disciplinas, quae in Constitutionibus enumerantur, pro studiorum nostrae aetatis conditione, addenda est; puta, historiae, mathematicae, physicae; artes item quaedam liberales, velut musices, graphidos, et huiusmodi aliae, si cui videantur e contubernalibus usui futurae; providendum sane est, ne ea quae leviora sunt, avocent a studiis gravioribus; neque plura simul tradantur, quam cuiusque ingenii vires ferant; neque omnia aeque in omnibus, sed quod cuiusque natura patitur, id in singulis confirmetur. Const. Lib. III. Cap. 5.

Postremo de studiis et magistris, item de Superioribus Collegiorum, ubi scholae fuerint, cetera omnia serventur iam Constitutionibus praescripta. Ibid.

Ad haec autem et cetera officia, ut quisque omnem diligentiam conferre debet, ita omni vacet animi perturbatione, quae tranquillam universae vitae aequalitatem et constantiam dignitatemque labefactet. Tum concordi se se omnes caritate complectantur, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; Eph. 4, 3. mutuam sibi operam praestantes; non ex suo quisque

consilio res sibi commissas administrantes, sed ex Const. Lib. II. Cap. 13. communi praescripto, et ad regulam Constitutionum. Hinc enim et ipsi secum constare poterunt, et uniuscuiusque operi maius robur accedet; totaque huius instituti ratio, siquidem partes singulae aptae inter se nexaeque cohaereant, una existet. Atque in hoc ipso etiam iuvenes ordinis pulcritudinem mente assequuti, et ipsi sua sponte assuescent omnia certà ratione et considerate, nihil temere, nihil fortuito, negligenterque agere.

Denique illa minime videntur silentio praetereunda, ut et tuendae sanitatis ratio habeatur; neque ea negligantur, quae pertinent ad munditiam et urbanitatem, dummodo ne sint artificiosa, aut exquisita nimis: ut crebris corporis exercitationibus et relaxentur animi adolescentum, et vires confirmentur: ut iidem a cogitationum intentione vel ad ludos traduci identidem possint, modo urbani illi sint, honesti, et ingenuis adolescentibus digni: omnino autem, ut in quibuscumque ingenii sive pietatis exercitationibus mentis contentio nimium ne producatur; quae lassitudine mentem premit potius, quam erigat; neque acuit animos, sed obtundit; fastidiumque rerum optimarum atque odium parit. Quod contra enitendum est, ut adolescentes et in studium virtutum atque doctrinae, quoad fieri poterit, oblectentur; cavendumque ne pietas in externis constet ritibus, vel plurima precum recitatione: sed pio cordis affectu
Ioh. 4, 24. Deum adorent in spiritu et veritate; alacri animo labores excipiant; ad maiora libentes affectent iter;

semper cantantes in cordibus suis Deo, quidquid fa- Col. 3, 16.17.
ciant, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

Ceterum de iuventute excolenda plura ac plenius discere poterunt nostri, cum ex probatissimis auctoribus, et regulis quae fusius describentur, tum maxime ex iis, quae de nostrorum institutione non minus gravia et utilia, quam scite sapienterque institutionibus et Regulis descripta habentur.

IMPRIMATUR

Fr. Th. M. Larco Ord. Praed. S. P. A. Mag. Soc.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi-Bussi Ord. Min. Conv. Arch. Icon. Vicesg.